Ymen est deus nuptiarum

Inpatiens expersque viri nemora avia lustrat
Nec quid hymen quid amor quid sint conubia curat
Sepe pater dixit generum mihi filia debes
Sepe pater dixit debes mihi nata nepotes
Illa velut crimen tedas exosa iugales
Pulcra verecundo suffunditur ora rubore
Inque patris blandis herens cervice lacertis
Da mihi perpetua genitor carissime dixit
Virginitate frui dedit hoc pater ante Diane
Ille quidem obsequitur sed te decor iste quod optas
Esse vetat votoque tuo tua forma repugnat
Phebus amat visaeque cupit conubia Daphnes
Quaeque cupit sperat suaque illum oracula fallunt
Utque leves stipule demptis adolentur aristis
Ut facibus sepes ardent quas forte viator
Vel nimis admovit vel iam sub luce reliquit
Sic deus in flammas abiit sic pectore toto
Uritur et sterilem sperando nutrit amorem
Spectat inornatos collo pendere capillos
Et quid si comantur ait videt igne micantes
Sideribus similes oculos videt oscula que non
Est vidisse satis laudat digitosque manusque
Brachiaque et nudos media plus parte lacertos
Si qua latent meliora putat fugit ocior aura
Illa levi neque ad hec revocantis verba resistit
Nimpha precor Peneia mane non insequor hostis
Nimpha mane sic agna lupum sic cerva leonem
Sic aquilam penna fugiunt trepidante columbe
Hostes quaeque suos amor est mihi causa sequendi
Me miserum prona cadas indignave ledi
Crura notent sentes et sim tibi causa doloris
Aspera qua properas loca sunt moderatius oro
Curre fugamque inhibe moderatius insequar ipse
Cui placeas inquire tamen non incola montis

Iugales quia iungunt nuptias.
Diana fuit semper virgo ...
sic ipsa simpliciter fugit amantes.